

illi qui debent eligere ex suis fratribus eos, qui sunt idonei ad audiendas confessiones secularium. Nam quando Papa dicit, quod Prælati assumant suos subditos ad aliqua ministeria, secularibus dispensanda, ut sunt Sacramenta Confessionis, Matrimonij & huiusmodi, hoc debet intelligi de præfatis superioribus, scilicet, Ministro Generali, vel Commissario Generali, vel Prouincialibus, & deceteris de quibus supra in principio huius dubii est dictum. Et nunquam solet intelligi de Guardianis, licet sint prælati ex privilegio Eugenij Papæ, neque de cæteris inferioribus, nisi aliud in nonnullis ordinibus Mendicantium habeat eorum consuetudo, quod scilicet hoc possint Priores, vel nisi essent loca, in quibus nondum esset creata prouincia, id est custodia, & ibi esset vnus solus conuentus sub nulla Prouincia, vel Custodia constitutus. Hæc ille.

¶ Sed quid de Prælato, aut Commissario eorum 16 Mendicantium, qui de nouo veniunt ad Indias, vel ad alia loca infidelium, in quibus nullus est prælatus superior sui ordinis, à quo recipiet facultatem vtendi Breuibus, & Apostolicis indultis? Respōdeo quod eiusmodi Prælatus Commissarius aut prior, qui secum aliquos